

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 2, Liber 3: De dilectione et amicitia

De amore et dilectione: Rubrica prima

Commented [CN1]: fol.36rb

Salomon in cantico canticorum circa finem. Fortis est vt mors dilectio: dura sicut inferus emulatio. Aque multe non poterunt extinguere charitatem: nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus sue pro dilectione quasi nihil despiciet eum.

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo i. Omnes diligunt magis sua opera: vt parentes et poete. Libro 10. et finali capitulo 5. Unusquisque circa hec: et in his operatur que maxime diligit. Idem iconomirorum libro i. Dissimilitudines morum nequaquam amabiles. Idem magnorum moralium libro 2. capitulo 79. Multis multotiens aut auidere aut abaudire aliquid de aliquo bono beniuolius. Idem rethoricorum libro i. capitulo 10. Diligere delectabile est. Diligi: delectabile est. Libro 2. capitulo 6. Nullus que timet amat. 21. capitulo. Non oportet amare tanquam oditurum: sed magis odire tanquam amaturum.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 3. Omne animal diligit simile: sic et omnis homo proximum sibi. 33. capitulo. Si est tibi seruus fidelis: sit tibi quasi anima tua.

Terentius in hecyrta capitulo 9. Qui amat cui odio ipse est: bis facere stulte dico: laborem inanem ipsius capit: et illi molestiam affert.

Tullius de officiis: libro 2. capitulo 7. Omnium rerum nec aptius est quicquam ad opes tuendas ac tenendas quam diligi: nec alienius quam timeri. 11. capitulo. Uehementer multitudinis amor commouetur ipsa fama et opinione liberalitatis beniuolentie iustitie fidei omniumque earum virtutum que pertinent ad mansuetudinem morum ac felicitatem. Idem de amicitia. Nihil est virtute amabilius. Nihil quod magis alliceat ad diligendum. Quippe cum virtute et probitate: etiam eos quos nunquam vidimus quoddammodo diligamus. Confirmatur amor ex beneficio accepto et studio perspecto: et consuetudine adiuncta. Idem de fine bonorum et malorum libro 5. et finali. Omne animal seipsum diligit. Idem de legibus libro i. Natura propensi sumus ad diligendos homines quod fundamentum iuris est. Idem de natura deorum libro i. Causarum ipsum verbum est amoris.

Commented [CN2]: fol.36va

Ouidius de arte amandi libro 2. Sit procul omne nephas: vt amaris amabilis esto. Erue fastus. / Curam mansuri quisquis amoris habes / Dulcibus est verbis: mollis eliciendus amor / Uanescitque absens: et nouus intrat amor.

Mattheus in euangelio capitulo 6. Ubi thesaurus tuus: ibi et cor tuum.

Ioannes in euangelio capitulo 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet: vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Idem apostolus in euangelio in epistola i. capitulo 3. Non diligamus verba neque lingua: sed opere et veritate. 4. capitulo. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foris mittit timorem.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. epistola i. Si vis amari: ama. Libro 4. capitulo 8. et finali. Conciliari non nisi turpi ratione amor turpium potest. Libro 6. epistola 5. Qui colitur et amatur. Non potest amor cum timore misceri. Idem declamationum libro 8. causa 6. et finali. Magnus est amor qui ex misericordia venit.

Iuuenalis libro i. satira 3. Quis nunc diligitur nisi conscius et cui feruens. Estuat occultis animus semperque tacendis.

Lex digestorum titulo de donationibus inter virum et vxorem l. 3. in principio. Amor honestus solis animis existimatur.

Martialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Miraris quod nullus amet te ceciliane. / Non quod amas nullum: dilige carus eris. Capitulo 4. Nulli carus erat erodinus et sibi nullus. / Conuentus morum faculam succendit amoris. / Moribus at variis gratia distrahitur. Capitulo 5. Inuitus nemo: nemo coactus amat. / Blandiciis non imperio: vis crescit amoris. / Dilige nos omnes: vt ameris ab omnibus vnus. / Querit amor pariles: dissimiles odium. Capitulo 6. Nescit amor vehemens: ad queque pericula rumpi.

Augustinus in epigrammata prosperi emp. 2. Sic diligendi sunt homines: vt eorum non diliganter errores.

Commented [CN3]: fol.36vb

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 8. Omni iure bonos: et miser esse malis. Idem in musica libro i. capitulo i. Amica est similitudo: odiosa dissimilitudo atque contraria. Amorem dilectionemque similitudo conciliat. Libro 2. capitulo 16. et finali. O felix hominum genus: Si vestros animos amor / Quo celum regitur regat.

Cassiodorus de amicitia capitulo i. Uix inuenitur dilectio: que non sit questuaria et venalis. Capitulo 3. Amor est quedam vis appetitiua rerum: quas desiderio eligimus et amplectimur ad fruendum. Dilectio exacto animi iudicio vires capit. Capitulo 26. et finali. Dilectionis est consulere et amico beneficia exhibere.

Uersificator fabularum esopi 28. fabula. Nullus amor durat: nisi fructus seruet amorem. Quilibet est tanti: munera quanta facit.

Auctor libelli qui dicitur pamphilus capitulo 3. Excitat et nutrit facundia dulcis amor. Capitulo 13. Usu crescit amor omnis: decrescit et vsu. / Omnis et impastus: attenuatur amor.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Pietas est per quam sanguine coniunctis patrie que beniuolis officium et diligens tribuitur cultus.

Quintilianus declamationum 5. declamatione. Habet pietas impetum suum: nec vllum dominum nouit affectus.

Paulus in epistola ad timotheum capitulo 4. Pietas ad omnia vtilis est. Promissionem habens vite que nunc est et future. 5. capitulo. Siquis suorum et maxime domesticorum curam non habet: fidem negauit: et est infideli deterior.

Seneca tragediarum in thieste capitulo 7. Nulla vis maior pietate vera est.

Lucanus libro 8. Exeat aula / Qui vult esse pius.

Frontinus libro i. titulo 7. Alexander macedonus per deserta affrice itinera grauissima siti cum exercitu affectus oblatam sibi a milite in galea aquam spectantibus vniuersis effudit: vtiliter exemplo **temperantie** quasi communicare voluisset.

Commented [CN4]: fol.37ra

Lex digestorum titulo de curatore furioso et aliis etc. l. furiose. Pietas parentibus etsi inequalis est eorum potestas equa debebitur.

Ualerius maximus libro 5. titulo de humanitate aut clementia: Quintus metellus celtibericum in hispania gerens bellum cum vrbe celto bricam obsideret: et iam admota machina partem muri que sola conuelli poterat disiecturus videretur: humanitatem propinque victoriae pretulit. Nam cum rethoienis filios qui ad eum transierant centobricenses machine ictibus obiecissent: ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur: quamquam ipse rethoienes negaret esse impedimento quo minus etiam per exitum sanguinis sui expugnationem perageret: ab obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto: etsi non vnius ciuitatis menia: omnium tamen celtiberarum vrbium animos cepit: effecitque vt ad redigendas eas in ditionem populi romani non multis sibi obsidionibus opus esset. Titulo de pietate: Nulla acerbitate fortune nullis sordibus precium care pietatis vilescit: quanto etiam eo certius quo miserius experimentum habet. Quo non penetrat: aut quid non excogitat pietas. Rerum natura pietatis est magistra.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 31. Beniuolentia communis quedam parens omnium est: que amicitia connectit et copulat: in consiliis fidelis: in prosperis leta: in tristibus mesta. Unusquisque beniuolentis se magis quam sapientis credit consilio. 32. capitulo. Beniuolentia etiam morum similitudinem facit. Inter dispares mores et studia conpugnancia beniuolentia esse non potest. Libro 2. capitulo 7. Nihil tam vtile quam diligi. Id agamus vt omni sedulitate commendemus existimationem opinionemque nostram. Ac primum placiditate mentis et animi benignitate influamus in affectum hominum: popularis enim et grata est omnibus bonitas: nihilque est quod tam facile humanis sensibus illabatur. 30. capitulo et finali. Nihil charitate dulcius: nihil pace gratius.

Cassiodorus epistolarum libro 12. et finali epistola 3. Pietas siquidem principum totum custodit imperium: et deum illis vicissitudo digna redditur in columbia reipublice membra seruantur.

Commented [CN5]: fol.37rb

Gualterius de castellione libro 4. Que rara tyrannis / Semper inest fregit pietas generosa rigorem.

De predilectione suiipsius: Rubrica 3

Salomon in prouerbiis capitulo 5. Non des alienis honorem tuum.

Isaias propheta capitulo 135. Cum videris nudum operi eum: et carnem tuam ne despexeris.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 33. Filio et mulieri: fratri et amico non des potestatem super te in vita tua. Non dederis aliis possessiones tuas: ne forte peniteat te: et deprecetis pro illis. Dum adhuc superes et aspiras: non mutabit te omnis caro: melius est enim vt filii tui te rogent quam te respicere in manus filiorum tuorum.

Seneca de beneficiis libro 2. Dabo egenti: sed vt ipse non egeam. Succurram perituro: sed vt ipse non peream.

Lex digestorum titulo de iustitia et iure l. iii. Hoc iure euenit: vt quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit iure fecisse existimetur.

Marcialis cocus: libro vndique suscepto capitulo 3. Ne noceas tibi sic aliis prodesse memento.

Cato capitulo 2. Dilige sic alios: vt sis tibi carus amicus.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 14. Tunc dexteris cogitandum est: dum se ratio proprie necessitatis expleuerit.

Uersificator fabularum esopi: fabula 64. et finali. Cuius semper eges: rem nulli tradere debes.

Iacobus beneuentanus capitulo 32. Cur onus alterius: humeris imponere velles. / Nature tuis: vitaeque nocitura vides. Capitulo. 55. Dum retinem potes dominatum non dabis vlli. / Te viuente: tuum nulli prebebis honorem. / Sed tibi conserua carus: vt esse queas.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nup. capitulo 28. Plus alios quam se quis nisi stultus amat.

De parentibus et liberis: Rubrica 4

Commented [CN6]: fol.37va

In exodo capitulo 2. Honora patrem tuum et matrem tuam: vt sis longeuus super terram: quam dominus deus tuus dabit tibi. 21. capitulo. Qui percusserit patrem suum aut matrem: morte moriatur. Qui maledixerit patri suo aut matri: morte moriatur.

In leuitico capitulo 19. Unusquisque patrem et matrem suam timeat. 20. capitulo. Qui maledixerit patri suo et matri: morte moriatur. Qui patri matrique maledixerit: sanguis eius sit super eum.

Moyses in deuteronomio 27. capitulo. Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem.

Salomon in prouerbiis capitulo 6. Conserua precepta patris tui: et ne dimittas legem matris tue: liga ea in corde tuo iugiter. 13. capitulo. Qui parcat virge odit filium. Qui autem diligit illum: instanter erudit. 15. capitulo. Filius sapiens letificat patrem: et stultus homo despicit matrem suam. 17. capitulo. Ira parris filius stultus: et dolor matris que genuit eum. 20. capitulo. Qui maledicit patri suo et matri: extinguetur lumen eius in mediis tenebris. 19. capitulo. Uirga atque correctio tribuit sapientiam: puer autem qui dimittitur voluntati sue: confundet matrem suam. Erudi filium tuum: et refrigerabit te: et dabit delicias anime tue. 30. capitulo. Oculum qui subsannat patrem: et despicit partum matris sue: effodiant eum corui de torrentibus: et comedant illum filii aquile.

Tobie historia capitulo 4. Honorem habebis matri tue omnibus diebus vite eius.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Parentes cole.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 3. scilicet de solone. Solon qui fuit vnus de septem sapientibus ait: Parentes reuerere. 31. capitulo et finali scilicet de pione. Pio sic fatus est: Grauis patri sarcina est virgo propter penuriam excedens tempus iuuenilis etatis. Talis fias parentibus quales quidem orares erga te fieri natos tuos.

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo 7. Parentes diligunt filios vt sui ipsorum aliquid existentes. **Parentes** filios diligunt vt seipsos. Libro 9. capitulo 7. Omnis proprium opus diligit: magis quam diligitur ab opere animato facto. Idem magnorum moralium libro 2. capitulo 78. Omnes ad quod ipsi fecerint ad hoc quoddammodo et beniuoli sunt. Pater igitur beniuolus est quoddammodo ad filium ipsius existentem factorem memor et spe ductus: propter quod magis pater filium amat quam filius patrem.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 3. Qui honorat patrem suum vita viuet longiore. Qui timet dominum: honorat parentes: et quasi dominus seruiet his qui se genuerunt in opere et sermone et omni patientia: honora patrem tuum: vt superueniat tibi benedictio a deo: et benedictio illius in nouissimo maneat. Benedictio patris: firmat domos filiorum. Maledictio autem matris eradicat fundamenta. Gloria hominis ex honore patris sui: et dedecus filii pater sine honore. Fili suscipe senectam patris tui et non contristes eum in vita illius: et si defecerit sensu: veniam da: et ne spernas eum in tua virtute. Quam male fame est qui reliquerit patrem: et est maledictus a deo: qui exasperat matrem. 7. capitulo. Filii sunt tibi: erudi illos: et curua illos a pueritia illorum. Filie sunt tibi: serua corpus illarum: et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam et grande opus feceris: et homini sensato da illam. Honora patrem tuum: et gemitus matris tue ne obliuiscaris. 16. capitulo. Ne iocunderis in filiis impiis. Si multiplicentur filii non oblecteris super ipsos si non est timor dei cum illis. 26. capitulo. In filia se non auertente

Commented [CN7]: fol.37vb

se firma custodiam: ne inuenta occasione vtatur se. 30. capitulo. Qui diligit filium suum: assiduet illi flagella. Qui docet filium suum: laudabitur in illo. Mortuus est pater qui docuit filium: et quasi non est mortuus: similem enim relinquet sibi post mortem. Equus indomitus euadit durus: et filius remissus euadit preceps. Non des filio potestatem in iuuentute.

Terentius in heutontumerumenon capitulo 4. Quem feret si parentem non feret suum. 21. capitulo. Matres omnes filios in peccato adiutrices **auxilio** in paterna iniuria solent esse. Idem in adelphis capitulo 3. Qui mentiri aut fallere insuerit patrem aut audebit: tanto magis audebit ceteros. Pudore et liberalitate liberos retinere sacius esse credo quam metu. Hoc patrium potius consuefacere sua sponte recte facere quam alieno metu.

Commented [CN8]: fol.38ra

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 8. Si filii et heredes. Idem dicit ad galathas capitulo 4. Idem in epistola ad ephesios capitulo 5. et penultimo. Filii obedite parentibus vestris in domino. Uos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate illos in correctione et disciplina domini. Idem epistola ad collossenses capitulo 3. et penultimo. Filii obedite parentibus vestris per omnia. Hoc enim placitum est domino. Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: vt non pusillo animo fiant.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 11 et finali. Perfer imperium patris.

Lex digestorum titulo de curatore furiosi etc. l. furiose. Pietas parentibus etsi inequalis est eorum potestas equa debebitur. Titulo de obsequiis a liberis et liber etc. l. antepenultimo. Liberto et filio semper honesta et sancta persona patris ac patroni videri debet. Lex codicum titulo de curatore furiosi l. finali. Quis talis effectus extraneus inueniatur vt vincat paternum.

Marcialis cocus liro vndique susceptis capitulo 3. Dilige si bonus est iusta pietate parentem. / Si malus est: toleres. filius esto bonus.

Cato capitulo i. Parentes ama. Parentes patienter vince. Capitulo 2. Cum tibi sint nati nec opes: tunc artibus illos. Instrue: quo possint inopem defendere vitam. Capitulo 5. et finali. Fer patris imperium: cum verbis exit in iram.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 13. Euripidis sententiam probo: qui carentem liberis infortunio dixit esse felicem.

Cassiodorus epistolarum in prohemio: Contigit dissimilem filium plerumque generari. Libro i. epistola 17. Quibus fuerit exosa societas parentum: ciuium non meretur habere consortium: ne puri corporis iocunda serenitas nebulosis maculis polluat.

Uersificator fabularum esopi fabula 30. **Insita** notorum cordi doctrina parentum. / Cum pariat fructum: spreta nocere solet.

Commented [CN9]: fol.38rb

Auctor libelli qui dicitur pamphilus capitulo 19. Sepe solet similis filius esse pater.

Iacobus beneuentanus capitulo 40. Nate tuis natis: non demonstrabis amorem. / Que gestat intus dissimulato foris. / Est pater in culpa: si filius est vitiosus. / Si vitio careat: laus erit inde patri.

De cognatis: Rubrica 5

Psalmista 153. psalmo. Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in vnum.

Solomon in prouerbiis capitulo 14. Qui despicit propinquum suum peccat.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 6. Species amicitie est solidatas et domesticitas et cognatio.

Ualerius maximus libro 2. titulo de institutis antiquis: Conuiuuium selenne maiores instituerunt: idque caristiam appellauerunt: cui preter cognatos et affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarias personas querela esset orta: apud sacra mense et inter hilaritatem animorum a fautoribus concordie tolleretur.

Cato capitulo i. Cognatos cole.

Cassiodorus epistolarum libro 12. et finali epistola 5. Gratificante natura illis amplius debemus qui nobis aliqua proximitate iunguntur.

De vicinis propinquitate et longinquitate: Rubrica 6

Salomon in prouerbiis capitulo 27. Melius est vicinus iuxta: quam frater procul.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 27. Dilige proximum: et coniunge fidem cum illo.

Iuuenalis libro 5. et finali satira 3. et penultima. Inter finitiones vetus atque antiqua si multas Immortale odium: et nunquam sanabile vulnus.

Oratius epistolarum libro i. epistola 19. Nam tua res paries agitur cum proximus ardet.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 14. Perue sunt semper iniuriis facultates absentium. Libro 10. epistola 34. et penultima. Uisorum semper maior affectus est: dum gratissime retinetur qui assiduo et suauis sermone coniungitur.

Auctor libelli qui dicitur pamphilus capitulo 2. Nam solet amato plus ledere proximus ignis.

Bertrandus iconomica capitulo 8. Superbia contra vicinum: balneum est expectans tonitruum cum sagitta. 17.3. Partem hereditatis non vendas te potentiori: sed potius minori precio te minori. Totum autem vende plus offerenti. 19. capitulo. Nihil emas in consortio potentioris. Paruum consortem patienter sustineas ne tibi societ fortiorem.

Commented [CN10]: fol.38va

Iacobus beneuentanus capitulo 12. Dilige vicinos: / vt sis dilectus ab ipsis. / Uicino melius nil credo fore bono.

Bellinus in speculo vite parte i. ex. 2. Inter vicinos interdum maxima crescunt / Iurgia: longinquirarius illud habent.

Prouerbiium vulgaria. Lonzi da ochi: elonzi da core / Gaude la villa: chi sta suora ella.

De conuersatione conspectu societate et solitudine: Rubrica 7

In genesi capitulo 2. Non est bonum esse hominem solum.

In libro numeri capitulo 20. Quicquid tetigerit immundus immundum fiet.

Psalmista 17. psalmo. Cum sancto sanctus eris: et cum viro innocente innocens eris: et cum peruerso peruerteris.

Salomon in prouerbiis capitulo 13. Qui cum sapientibus graditur sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur. 18. capitulo. Uir amicabilem ad societatem magis amicus erit quam frater. 20. capitulo. Ei qui reuelat ministeria et ambulat fraudulentem: et dilatat labia sua ne commiscearis. 22. capitulo. Noli esse amicus homini iracundo: neque ambules cum viro furioso: ne forte discas semitas eius: et sumas scandalum anime tue. 24. capitulo. Ne emuleris viros malos: nec desideres esse cum eis. Idem in ecclesiaste capitulo 4. Melius est simul duo esse quam vnum: habet enim emolumentum societatis sue: si vnus ceciderit ab altero fulcietur. Uhe soli: quia si ceciderit non habebit subleuantem se: et si quispiam preualuerit contra vnum duo resistent: funiculum triplex difficile rumpitur.

Plato in timeo circa finem: A bonis doceberis. Si vero malis commiscearis: perdes et inherentem intellectum.

Commented [CN11]: fol.38vb

Isocrates in exhortationibus capitulo i. Prauorum quidem consuetudines paucum tempus dissoluit: studiosorum vero federa: non quidem totum seculum abolenit. 2. capitulo. Placide te geras ad omnes optimis autem vtere: Sic illis quidem odiosus non eris: his autem amicaberis. Esto adherentibus tractabilis non sublimis: nam despicientium tumorem vix equidem tolerabunt serui: modum vero tractabilium cuncti ferunt alacriter. Fies autem tractabilis: non eris rixosus: nec implacabilis: nec apud omnes litigiosus: nec adherentium iras aspere obuians si iniuste irascantur: sed illis quidem succedentibus obtemperans: sedata vero ira obiurgans: nec erga ridicula studens: nam omne intempestum vbique triste: nec gratias ingrate conferens: quod nempe patiuntur plures egentes: ministrantes vero diletis cum tedio: ne amator eorum existens molestum enim nec pronus percipere: prouocatiuum enim Conuersantem in democratia oportet demulcere populum.

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo 2. Simile simile appetit. Libro 9. capitulo 9. Solitario quidem difficilis est vita. Libro 10. et finali capitulo. 2. Omne cum altero bonum eligibilis est quam solitarium. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 6. Species amicitie est sodalitas et domesticitas et cognatio. 11. capitulo. Separari ab amicis et consuetis miserabile confusio debilitas orbatio. Idem topicorum libro 8. Prauus socius est qui impedit commune opus.

Theophrastus in aureolo: tractatu de nup. Sapiens nunquam solus esse potest: habet secum omnes qui sunt: quique fuerunt vnquam boni: et animum liberum quocumque vult transfert.

Jesus filius sirach in ecclesastico capitulo 13. Qui tetigerit picem: inquinabitur ab ea: et qui communicauerit superbo induet superbiam. Omnis caro ad similem sibi coniungetur. Omnis homo similis sibi sociabitur. 21. capitulo. Narratio fatui quasi sarcina in via. 22. capitulo. Cum insensato ne abieris: serua te ab illo: vt non molestiam habeas. 37. capitulo. Cum viro sancto assiduus esto.

Terentius in adelphis capitulo 11. Ut homo est ita morem geras.

Commented [CN12]: fol.39ra

Tullius de officiis libro i. capitulo 27. Omnium societatum nulla prestantior est: nulla firmior quam cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti. Idem rethorice artis veteris libro i. capitulo 12. Omnibus in rebus similitudo est societatis mater. Idem in oratione pro rege deinotaro: Familiaritatem consuetudo attulit.

Ouidius de remedio amoris libro 2. et finali. Dum spectant oculi lesos: leduntur et ipsi. Multa que corporibus: transitione nocent. In loca nonnunquam siccis arentia glebis. De prope currenti flumine manat aqua. Proximus a tectis: ignis defenditur egre. Non facile esuriens: posita retinebit mensa. Et multum saliens: incitat vnda sitim. Non facile est thaurum visa retinere iuuenca. Fortis equus vise semper adhinnit eque.

Quintilianus declamationum 15. declamatione. A primis staturis etatibus in eandem coire vitam habet aliquem firmitatis effectum.

Seneca tragediarum in agamenone capitulo 4. Nec regna socium ferre nec te desciumt. Idem epistolarum ad lucillum libro i. epistola 3. Nullius boni sine scoio iocunda possessio est. 7. epistola et finali. Inimica est multorum conuersatio. Tenere animus et parum tenax recti subducendus est populo: facile est enim transitus ad plures. Recede in teipso quantum potes. Cum his conuersare qui te meliorem facturi sunt: illos admitte quos tu potes facere meliores. Libro 2. epistola 3. Magna pars peccatorum tollitur si peccatori testis assistat. Libro 4. epistola 4. Sic fac omnia tanquam expectet aliquis. Sic viue tanquam sub alicuius boni viri ac semper presentis oculis. Omnia nobis mala solitudo persuadet. Libro 5. epistola 6. Conspectus et presentia conuersatio habet aliquid viue voluptatis: vtique si non tantum quem velis: sed qualem velis videam. Libro 19. epistola 3. Nulla res magis animis honesta induit dubiosque et imprauum inclinabiles reuocat ad rectum quam bonorum conuersatio: paulatim enim descendit in pectora et vim preceptorum obtinet frequenter aspici frequenter audiri. Id tibi in conuersatione viuorum

Commented [CN13]: fol.39rb

sapientum eueniet: non deprehendes quemadmodum: aut quando tibi prosint profuisse deprehendens. Idem de ira libro 3. Sumuntur a conuersantibus mores. Idem de tranquillitate animi: Serpunt vitia et in proximum quemque transiliunt et contactu nocent.

Lex digestorum titulo de officio presidis l. obseruandum. Ex conuersatione equali contentio dignitatis nascitur. Lex auc. de monachis. §. cogitandum. Fiet seniorum conuersatio inuuentutis educatio perfecta.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 4. Sepe viatores amor et concordia iunxit. Capitulo 6. Emuleve soli: quia dum cadit ille leuantem. / Non habet: in seipso spem sibi cum posuit. / Federa dum spernit: dum spernit habere sodalem. / Perficit vt sese nemo iuuare velit. Forte quidem velles socium reperire fidelem. Sed prauis mores scelus et ira negant.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Paucis esto familiaris: omnibus equus.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo 20. Plurimum prodest vnicuique bonis iungi.

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 18. exautior publii. Idem dicit seneca in prouerbiis. Comes facundus in via pro vehiculo est.

Cato capitulo i. Cum bonis ambula.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 9. Que pestis est efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 38. Illi prudentiores semper sunt habiti: qui multorum hominum conuersationibus probantur eruditi. Libro 12 et finali epistola 3. Nemo amplius acquirit quam qui se bona conuersatione tractauerit.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 30. Uita malos: caue iniquos. Si fueris socius conuersationis eris et virtutis. Similis simili coniungi solet. Periculum est vitam cum malis ducere. Periculosum est cum his qui prae voluntatis sunt sociari. Qui tetigerit immundum coinquinabitur.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 4. Doctior efficitur senioribus associatus. Capitulo 7. **Nemo** placet stulto: nisi dicat quod libet illi. Et malus efficitur: qui sociatur ei.

Commented [CN14]: fol.39va

Auctor rudium doctrine libro 2. Stulta sequi fatuus: consuevit recta pariter. / Conuenienter eos: non tenet vna domus.

Bernardus libro de improbatione vitiorum capitulo 5. Tristis abhorretur: nec socialis erit.

Iacobus beneuentanus capitulo 7. Qui iacet in ceno: non sine sorde manet. Capitulo 37. Stat male solus homo: solus male vadit et ipse. / Qui viuunt solus: mors sibi vita manet.

Auctor libri qui incipit astrolabi: Infames fugiat: tua conuersatio semper. / Et socio gaude: te meliore frui.

Prouerbiū vulgare. Sola per via andar e folia.

De amicitia vera et amicis veris: Rubrica 8

In leuitico capitulo 17. Diliges amicum tuum sicut teipsum.

Salomon in prouerbiis capitulo 12. Qui negligit damnum propter amicum iustus est.

Isocrates in exhortationibus capitulo i. Decet natos sicut substantie: sic etiam paterne dilectionis esse heredes. 2. capitulo. Absentium amicorum memor esto coram presentibus: vt censearis nec eos absentes negligere. Quoscumque velis amicos tibi imbuere: de his aliquid boni profer. Initium enim amicitie laus: Inimicitie vero crimen.

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo i. Amicitia maxime necessarium est in vita. Sine amicis nullus eligeret viuere habens reliqua bona omnia. Et emendicantibus et principatus et potentatus: possidentibus videtur amicis maxime esse opus. 3. capitulo. Perfecta est bonorum amicitia: et secundum virtutem similium. Uoluntas quidem velox amicitie fit: amicitia autem non. 4. capitulo. Non videtur neque senex neque seueri amatim esse: breue enim in ipsis quod delectationis. In seueris et senilibus minus fit amicitia: quantomagis discoli sunt et minus colloquiis gaudent. Huius enim maxime videntur esse amicabilia et factiua amicitie propter quod iuuenes quidem fiunt amici cito: senes autem non. Senes et seueri beniuoli quidem sunt: volunt quidem bona et **obuiantur** ad necessitates: amici autem non omni sunt propter non commorari neque gaudere adinuicem. Commorari et gaudere adinuicem: maxime videntur esse amicabilia. Multis esse amicum secundum perfectam amicitiam non contingit. 5. capitulo. Equalitas est et similitudo amicitia. 7. capitulo. In communicatione omnis amicitia est. Libro 9. capitulo 4. Amicus est alius ipse. 10. capitulo Alter ipse amicus est. 11. capitulo. Difficile fit et congaudere: et condolere familiariter multis. Non contingere videbitur multis esse amicum valde propter quod neque amare plures. 12. capitulo. Est et presentia sua ipsa et amicorum delectabilis: et in bonis fortunis et infortuniis alleuiantur enim tristati condolentibus amicis. Consolatiuum est amicus et visione et sermone. 13 capitulo et finali. Amicis eligibilissimum est conuiuere communicatio enim amicitia. Idem de magnorum moralium libro i. capitulo 51. Amicitia est medietas adulationis et inimicitie. Amicitia est circa operationes sermones. Adulator est qui plus decedentibus et existentibus adijciens est. Diminuens autem inimicus: et ab eis que sunt circumuferens: neuter ergo ratione laudabilis est: amicus autem in medio horum neque enim plus eis que sunt adiciet: neque laudabit que non decent. Libro 2. capitulo 62. Firmissima quidem et legalissima: et optima est studiosis amicitia: secundum virtutem et secundum bonum existens. 86. capitulo. Est vtique amicus alter ego. Idem rethoricorum libro i. capitulo 7. Amicus est qui eorum que putat bona esse illi: operatiuus est propter illud. Libro 2. capitulo. 4. Amici

Commented [CN15]: fol.39vb

condolent 6. capitulo. Amare est velle alicui que putat bona esse illi: operatiuus est proptur illum. Libro 2. capitulo 4. Amici condolent. 6. capitulo. Amare est velle alicui que putat bona illius gratia sed non sui et secundum posse actiuum est horum. Amicus est qui amat et econtra amatur: putantur aut amici esse qui sic habere putantur adinuicem. Necesse est amicum esse congaudentem bonis: et condolentem tristibus. Qui ea que sibi alii vult: huic videtur amicus esse. Factura amicitie est gratia: et non requisitum facere: et cum fecerit non manifestare: sic enim impius gratia videtur non propter alterum. 16. capitulo. Iuuenes sunt amatores amicitie et amici: et amatores sodalium magis quam aliarum etatum: quia gaudent in conueniendo. Idem polliticorum libro 2. capitulo i. Amicitiam quidem putamus maximum esse bonorum ciuitatibus sic enim vtique minime seditiones facient. Idem topicorum libro 3. Magis eligenda est superabundantia amicitie quam pecuniarum.

Commented [CN16]: fol.40ra

Cronica de nugis philosophorum capitulo 28. scilicet de aristotele: Aristoteles interrogatus quid est amicus: inquit: vna anima in quo est duo corpora. Idem amicitiam determinabat esse equalitatem beniuolentie conuertibilem.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 6. Noli fieri pro amico inimicus proximo. Amicus fidelis protectio fortis: qui autem inuenit illum: inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio: et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei eius. 25. capitulo. Beatus qui inuenit amicum verum.

Terentius in andria capitulo 3. Hoc tempore obsequium amicos: veritas odium parit. Idem in adelphis capitulo 22. Uetus verbum hoc quidem est. Communia esse amicorum inter se omnia. Idem in phormione capitulo 13. Solus est homo amico amicus.

Salustius in catilinario. Idem velle atque idem nolle ea demum firma amicitia est. Idem in iugurtino: Non exercitus neque thesauri presidia regni sunt: verum amici: quos neque armis cogere nec auro parare queas officio et fide parantur. Eadem cupere eadem odisse ac eadem metuere inter bonos amicitia: inter malos fautio est. Melius visum est amicos quam seruos querere: tutiusque volentibus quam coactis imperare.

Tullius rethoriorum artis veteris libro 2. capitulo 10. Amicitia est voluntas erga aliqua rerum bonarum illius ipsius causa quem diligit. Idem de amicitia: Ego vos hortari tantum possum vt amicitiam omnibus humanis anteponatis. Nihil est enim tam nature aptum: tam conueniens ad res vel secundas vel aduersas. Hoc sentio nisi in bonis amicitiam esse non posse. Amicitia nihil aliud est: nisi omnium diuinarum humanarumque rerum cum beniuolentia et charitate summa consentio. Uirtus amicitiam et gignit et continet: nec sine virtute amicitia esse vllo pacto potest. Quid dulcius quam habere amicum cum quo omnia possis loqui vt tecum. Secundas res facit splendiores esse amicitia: et aduersas patiens communicansque leuiores. Quanta vis amicitie concordieque sit: ex discessionibus atque discordiis percipi potest. Nulla est excusatio peccati si amici causa peccaueris. Hec lex in amicitia sanciat vt neque rogemus res turpes: neque faciamus rogati. Vere amicitie difficile reperiuntur in his qui honoribus reipublice versantur.

Commented [CN17]: fol.40rb

Idem de officiis libro 3. capitulo 9. Neque contra rempublicam: neque contra iusiurandum ac fidem amici sui causa vir bonus faciet. Idem de fide bonorum et malorum libro i. Epicurus quidam ita dicit: Omnium rerum quas ad beate viuendum sapientia comparuit: nihil est maius amicitia: nihil vberius: nihil iocundius. Cum solitudo et vita sine amicis insidiarum plena sint: ratio ipsa mouet amicitias comparare. Idem de natura deorum libro i. Hominum charitas et amicitia gratuita est.

Quintilianus declamationum 8. declamatione. Non reperio quid in rebus humanis excogitauerit natura prestantius amicitia: quid concordia contra fortunam maius auxilium.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. epistola i. Negociatio est non amicitia que ad commodum accedit. Quomodo huiusmodi homines natura conciliat: sic inest huic quoque rei stimulus qui nos amicitiarum appetentes faciat. Qui amicus est amat: qui amat non vtique amicus est: itaque amicitia semper prodest: amor aliquando etiam nocet. Libro 7. epistola 5. Amicus animo possidendus est. Idem de tranquillitate animi. Nihil eque oblectat animum quam amicitia fidelis et dulcis.

Marcialis cocus epigramaton libro 5. Colit ingratas pauper amicitias. Idem libri vndique suscepto capitulo 2. Omnis amicus amat: sed non qui amat omnis amicus.

Ualerius maximus libro 4. titulo de amore et dilectione capitulo 7. et penultimo. Amicitie vinculum potens est et preualidum neque vlla ex parte sanguinis iuribus inferius: hoc etiam certius et exploratius quod illud nascendi sors fortuitum opus: hoc vnus cuiusque solido iudicio incoacta voluntas contrahit. Deserta est futura vita hominis nullius amicitie cincta presidio.

Ambrosius de officiis libro 3. et finali capitulo 16. et finali. Si necesse est: toleremus propter amicum etiam aspera: plerumque inimicitie subeunde sunt propter amici innocentiam. Inter disparares mores non potest esse amicitia. Uirtus est amicitia: non conquestus: quia non pecunia sed gratia paratur. Meliores amicitie sunt inopum plerumque quam diuitum.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 3. Amicorum quidem scissimum genus non in fortuna sed virtute numeratur.

Cassiodorus de amicitia capitulo 3. Amicitia ex quodam vsu diligendi cum electione rei que diligenda est: et deliberatione procedit. Vera amicitia in se solida est: et in omnibus amicis necessitatibus ad omnem cooperationem et tolerantiam secum quadrans. In humanis rebus nihil amicitia dulcius inuenitur: nihil sanctius appetitur: nihil fructuosius custoditur. Habet enim fructum vite que nunc est et future. Amicitia propria suauitate virtutes alias condit: aduersa temperat: prospera componit: tristiaque iocundat. Solus est qui sine amico est. 6. capitulo. In amicitia vera nihil est inhonestum: nihil simulatorium: nihil lucri temporalis: aut inanis glorie venatium. Fons et origo amicitie amor est: et quasi genus ad speciem. Nam cum amor sepe sine amicitia sit amicitia sine amore nunquam consistit. 9. capitulo. Homo est amicitia in questu non in assentatione: sed in veritate et fide. Est autem amicitie suauissimus fomes synceritas

Commented [CN18]: fol.40va

affectationum: mutua obsequela: rerum honestarum crebra collatio: parilitas voluntatum: ugis et inuiolabilis fides. 15. capitulo. Linguosos ad amicitie secreta non arbitror eligendos. Fides in amicitia maximum locum tenet. 17. capitulo. Solidiores inueniuntur plerumque pauperum amicitie quam magnatum. Tanto purior est erga pauperem charitatis affectio quanto nulla circa eum subest: adulationis aut simulationis occasio. 22. capitulo. Quicquid amico impenderis nunquam improperes. 24. capitulo. Omnis assentatio sit procul a conditione amicitie aliena. Simulatio siquidem et assentatio due virulentissime pestes sunt: qui semper procul ab amicitia relegentur. 25. capitulo. Inhonestum est bellum cum eo gerere quem tu familiaritatis secretarium habuisti. Soluta amicitia semper ei qui amicum habueris honor est exhibendus. 27. capitulo et finali. Dilectionis est consulere et amico beneficia exhibere. Ueteris amicitie vestigiis aliqua reuerentia semper impendenda est: nisi eam enormitas reatus eximeret.

Gregorius in pastorali capitulo 47. Malorum cum incaute amicitiiis iungimur: culpis ligamur.

Uersificator fabularum esopi 57. fabula. **Nemo** sibi satis est: eget omnis amicus amico.

Commented [CN19]: fol.40vb

Auctor libri qui dicitur facetus capitulo 6. Utilius homini nihil est quam fidus amicus. / Ut veluti secum cuncta loquatur ei. / Rebus in aduersis: dabit hic solatia fati. / Prosperitate quidem gaudet vtrique magis. / Proudus eiusdem doctrine querat amandum.

Gualterius de castellione libro 6. Quem fastidit homo non vere diligit ille. / Uerus amor miserum: qui non fastidit amicum.

Mattheus vindocinensis de historia tobie capitulo 32. Est sine melle fauus: sine messe seges sine fructu / Arbor: amicitie coniuge vita carens.

Iacobus beneuentanus capitulo 34. Omnibus est rebus bonus antefendus amicus. / Sed modo perfectus rarus amicus adest. / In verbis fidus: non delectatur amicus. / Gaudet enim factis commoda ferre sibi. / Infidum fugias: fidumque sequaris amicum. / Huic proposse stude: ferre benignus opem.

Auctor libri qui incipit astrolabi: Omnia dona dei transcendit verus amicus. / Iudex et medicus tibi concilientur amore. / Si posses omnes: praecipue tamen hi.

De amicis leuibus verbalibus fictis et non veris: Rubrica 9

Salomon in prouerbiis capitulo 14. Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici vero diuitum multi.

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo 6. In tyrannide nihil vel parum amicitie est. Libro 9. capitulo 13. et finali. Fit prauorum amicitia mala: communicant enim prauis instabiles entes: et mali autem fiunt assimilati adinuicem. Idem de magnorum moralium libro 2. capitulo 62.

Secundum conferens amicitia non firma est: sed cum conferente mutatur. Idem rethorice libro i. capitulo 20. Apparens amicus adulator est.

Tullius de amicitia: Utilitates quidem etiam ab his percipiuntur sepe qui simulatione amicitie coluntur et obseruantur temporis causa. In vita tyrannorum nulla fides: nulla charitas nulla stabilitas beniuolentie potest esse fiducia. Omnia semper suspecta atque sollicita: nullus locus amicitie. Quis enim eum aut diligit quem metuit: aut eum a quo se metui putetur: coluntur tamen simulatione amicitie dumtaxat ad tempus.

Commented [CN20]: fol.41ra

Ouidius de ponto libro 2. epistola. 3. Turpe quidem dictu: sed si modo vera fatemur. / Uulgus amicitias: uilitate probat. / Illud amicitie quondam venerabile nomen / Prostat: et inquestu: pro meretrice sedet.

Quintilianus declamationum i. declamatione. Cum propter pecuniam ames idem amoris et spei finis est. 15. declamatione. Nescis an diligit: cuius non habet experimenta nisi sola felicitas.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 3. epistola 5. Errat qui amicum in atrio querit: in conuiuio probat.

Auctor libri de formula honeste uite capitulo 4. Nullius per assentationem amicitiam merearis. Nec hanc promerendi a te aditum aliis pandas.

Cato capitulo 2. Qui simulat verbis: nec corde est fidus amicus: Tum quoque fac simile: sic ars deluditur arte.

Cassiodorus de amicitia capitulo i. Uix inuenitur dilectio que non sit questuaria et uenalis. 16. capitulo. Qui simulatorie amat: in prosperis amat amicus: aduersarius in aduersis.

Auctor libri qui dicitur facetus capitulo 6. Sed tamen in mundo: modo non est fidus amicus. / Fraude est etenim callidus omnis homo. / Sed qui non potuit socium: sibi querere fidum: / Diligat hic alios sicut amatus erit.

Gualterius de castellione libro 9. et penultimo. Testatur eorum / Finis: amicitias regum non esse perhennes.

Heinricus samariensis libro i. parte i. Delicias ueris sequitur: sed tempora bruine. / Deserit ablato remige falsus amor.

Bertrandus iconomica capitulo 12. De uerbis magna est copia amicorum.

Iacobus beneuentanus capitulo 34. Tempore felici: multi dicuntur amici. / Tollere qui cupiunt: et dare nulla uolunt.

Prouerbum uulgare: Retie lamigo to colueizo so.

De experientia amicorum et cognitione: Rubrica 10

Salomon in prouerbiis capitulo 17. Omni tempore diligit qui amicus est: et frater in angustiis comprobatur.

Commented [CN21]: fol.41rb

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Nec cum nocumento experiaris amicum: nec in expertus amicorum manere velis: ages enim hec si nequaquam indigens te similes indigere: de effabilibus vt de ineffabilibus disserere: casus enim nihil lederis: sortitus vero mage preprendes eorum modum. Amicos in aduersitatibus discernimus. Acceptes amicos non solum anxiantes in sinistris: sed non inidentes in secundis: plures enim infelicibus compatiuntur: prosperitatibus autem inident.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 12. Non agnoscitur in bonis amicus: et non absconditur in malis inimicus.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. epistola 3. Omnia cum amico delibera: sed de ipso prius.

Ualerius maximus libro 4. titulo de amore et dilectione. Sincere fidei amici precipue in aduersis rebus cognoscuntur: in quibus quicquid prestatur totum a constanti beniuolentia proficiscitur. felicitatis cultus qui maiore ex parte adulationi quam charitati erogatur: certe suspectus est: perinde ac si plus semper petat quam impendat.

Cassiodorus de amicitia capitulo 16. In diuitiis fides amicitie latet.

Uersificator fabularum esopi 62. fabula. Quis amet et quis non sola procella docet. / Sors aspera monstrat amicos.

Auctor libri qui dicitur facetus capitulo 6. Fidus in aduersis cognoscitur omnis amicus.

Andreas capellanus ad gualterium de amore libro 3. Uerus amicus in amici aduersitatibus fidelior inuenitur: et efficitur in omni turbatione constantior.

Heinricus samariensis libro i. parte i. Preualet hic solo mala sors: quod monstrat amicos.

Iacobus beneuentanus capitulo 34. Notus in aduersis omnis amicus erit.

Prouerbum vulgare. Albesogno se cognossciamisi.

De acquirendis amicis: Rubrica 11

Commented [CN22]: fol.41va

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Neminem amicum concilies priusquam pertenes quo pacto se gesserit erga priscos amicos: credas enim etiam erga te huiusmodi futurum cuiusmodi erga illos fuit.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. epistola 3. Omnia cum amico delibera: sed de ipso prius. Idem de remediis fortuitorum capitulo 20. Ibi amicum queras vbi inuenias: quere inter liberales artes: inter recta et honesta officia: quere in laboribus ad mensam: ista res non queritur: quere aliquem frugi.

Lucanus libro 8. Cole felices: miseros fuge. / Aduersis non deesse decet: sed leta secutos: / Nulla fides vnquam miseros eligit amicos.

Martialis cocus libri vndique suscepto capitulo 3. Sepe diuque suo quem dignum censet amore. / Pertractat sapiens: sic amat ex habitu. / Antequam ames erisippe proba: sed amare probatum / Cura: totoque illum pectore suscipias.

Cato capitulo 5. et finali. Cum tibi vel socium: vel fidum queris amicum. Non tibi fortuna est hominis: sed vita petenda.

De conseruandis et retinendis amicis: Rubrica 12

Salomon in prouerbiis capitulo 7. Amicum tuum et patris tui ne dimiseris.

Isocrates in exhortationibus capitulo i. Decet natos sicut substantie sic etiam paterne dilectionis esse heredes.

Aristoteles rethoricorum libro ii. capitulo 11. Separari ab amicis et consuetis miserabile: confusio: debilitas: orbatio.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 9. Ne derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit similis. 22. capitulo. Qui conuiciatur amico: dissoluit amicitiam.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 7. capitulo 5. Amicus animo possidendus est.

Martialis cocus libri vndique suscepto capitulo 2. Prudenti probe consilio retinendus amicus. / Quem sero acquiris: sed cito perdis eum. / Frangis amicitiam: dum tarde ledis amicum. / Insidians socio: frangis amicitiam.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 7. Queritur euentu socius: tamen arte tenetur. Res leuis est querere: sed retinere labor.

Commented [CN23]: fol.41vb

De confidentia amicorum: Rubrica 13

Cronica de nugis philosophorum capitulo 6. scilicet de biante. Bias vnus de vii. sapientibus dicebat: diligere oportem: vt odio habituros nam plerosque malos.

Tullius de amicitia: Scipio negabat vllam vocem inimicitioem amicitie posse reperiri quam eius qui dixisset ita amare oportere vt aliquando esset osurus: nec vero se adduci posse: vt hoc quemadmodum putaretur abiante esse dictum crederet: qui sapiens habitus esset vnus e septem: impuri cuiusdam aut ambitiosi aut omnia ad suam potentiam reuocantis esse sententiam: quoniam enim modo quisquam amicus esse poterit: eius cui se putabit inimicum esse posse.

Ualerius maximus libro 3. titulo de constantia. Alexandri macedonum regis amicus et comes philippus medicus: cum suis manibus temperatam potionem alexandro porrexisset: a permenione misse littere superuenerunt admonentes vt rex insidias philippi medici perinde ac pecunia corrupti a dario caueret: quas cum legisset sine vlla cunctatione medicamentum angit: ac eas tamen legendas philippo tradidit: pro quo tam constanti erga amicum iudicio dignissima a diis immortalibus mercedem recepit: qui incolumitatis eius presidium falso interpellari iudicio voluerunt. Idem libro 4. titulo de moderatione. Plato cum a quodam audierat xenocratem discipulum suum de se multa impie locutum sine vlla cunctatione criminationem respuit: instabat certo vultu iudex causam querens: cur sibi fidus non adhiberetur: adiecit non esse credibile: vt quem tanto tempore amaret ab eo inuicem non diligeretur: postremo eum ad iusiurandum inimicitias: serentis malignitas confugisset: ne de periurio eius disputaret affirmavit numquam xenocratem illa dicturum fuisse nisi ea dici expedire sibi iudicasset. Idem titulo de amore et dilectione. Damon et pithias pitagorice prudentie sacris iniciati tam fidelem inter se amicitiam vixerunt vt cum alterum ex his dionysius syracusanus interficere vellet: atque his tempus ab eo quo priusquam periret domum profectus res suas ordinare impetrasset: alter vadem se pro reditu eius tyranno dare non dubitavit. Igitur omnes et in primis dionysius noue atque ancipitis rei exitum speculabantur: appropinquante deinde finita die nec illo redeunte vnusquisque stultitie tam temerarium sponse damnavit. at his nihil se de amici constantia metuere predicabat. Eodem autem momento et hora a dionysio constituta qui eam acceperat superuenit: admiratus amborum animum tyrannus supplicium fidei remisit. Insuperque eos rogauit vt se in societatem amicitie tertium sodalitiu gradum vltima cultorum beniuolentiam reciperent. Bias ita aiebat oportere homines in vsu amicitie versari vt meminissent eam ad grauissimas inimicitias posse conuerti. Quod quidem preceptum prima specie nimis fortasse callidum videatur. Inimicumque simplicitati qua precipue amicitia gaudet: sed si animi altior cogitatio dimissa fuerit: per quam vile reperietur.

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 18. ex auctoritatibus publii. Ita amicum habeas vt posse fieri hunc inimicum putes.

Auctor libri qui dicitur facetus capitulo 6. Sed tamen in mundo: modo non est fidus amicus. / Fraude est etenim callidus omnis homo.

De amicorum constantia et inconstantia: Rubrica 14

Commented [CN24]: fol.42ra

Salomon in prouerbiis capitulo 18. Occasiones querit qui vult recedere ab amico. 19. capitulo. Diuitie addunt amicos plurimos: a paupere autem et hi quos habuerit separantur.

Isocrates in exhortationibus capitulo i. Decet natos sicut substantie: sic etiam paterne dilectionis esse heredes. 2. capitulo. Lente quidem fiat amicus: factus tentes perseuerare.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 8 scilicet de periandro. Periander corinthius vnus de vii. sapientibus ait: Amicis et felicibus et infelicibus idem sis.

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo 4. Propter vtile existentes amici cum conferente dissoluuntur. Sola bonorum amicitia intransmutabilis est. Loca non dissoluunt amicitiam simpliciter sed operationem. 5. capitulo. Mali firmum quid non habent: neque enim sibiipsis permanentes similes existentes: in modicum enim tempus fiunt amici gaudentes adinuicem malitia.

Commented [CN25]:
fol.42rb

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 6. Amicus si permanserit fixus erit quasi coequalis: et in domesticis tuis fiducialiter aget. 22. capitulo. Ad amicum etsi produxeris gladium ne desperes: est enim regressus ad amicum. Fidem posside cum amico in paupertate illius: non et in bonis illius leteris: in tempore tribulationis illius permane illi fidelis non in hereditate illius coheres sis.

Tullius de officiis libro i. capitulo 22. Beniuentiam non adolescentulorum more ardore quodam amoris: sed stabilitate potius et constantia iudicamus. Idem rethoricorum artis noue libro 5. 10. capitulo. Qui fortunis alicuius inducti amicitiam eius secuti sunt: hi simul ac fortuna delapsa est deuoluant omnes. Libro 7. et finali capitulo 10. Falsi amici sereno vite tempore presto sunt: simul atque hyenni fortune viderunt deuolant omnes. Idem de fine bonorum et malorum libro 2. Si vtilitas amicitiam constituet tollet eandem. Idem de amicitia: In vita tyrannorum nulla fides: nulla charitas: nulla stabilitas beniuentie potest esse fiducia: omnia semper suspecta atque sollicita: nullus locus amicitie. Quis enim eum aut diligit quem metuat aut eum a quo se metui putat. Coluntur tamen simulatione amicitie dumtaxat ad tempus.

Ouidius de tristibus libro i. epistola 8. Donec eris felix: multos numerabis amicos. / Tempora si fuerint nubila: solus eris. Epistola 4. Scilicet vt fulmini: spectatur in ignibus aurum. / Tempore si duro est inspicienda fides. / Dum viuat et vultu: ridet fortuna secundo. / Inde libatas: cuncta sequuntur opes. / At simul intonuit fugiunt: nec noscitur vsquam / Agminibus comitum: qui modo cinctus erat. Idem de ponto libro 2. epistola 3. Diligitur nemo: nisi cui fortuna secunda est. / Que simul intonuit: proxima queque fugat. Epistola. 6. Turpe erit in miseris: veteri tibi rebus amico / Auxilium nulla parte tulisse tuum. / Turpe sequi casum: et fortune credere amicum. / Et nisi sit felix esse negare suum.

Quintilianus declamationum libro i. declamatione i. Cum propter pecuniam ames: idem amoris et spes tutus est.

Commented [CN26]: fol.42va

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. epistola i. Qui vtilitatis causa assumptus est: tamdiu placebit quamdiu vtilis fuerit. Libro 6. epistola 7. et finali. Est quidem suppinus ac negligens qui in amici memoriam ab aliqua regione amouetur.

Lucanus libro 8. Dat penas laudata fides cum sustinet inquit: Quos fortuna premit. Aduersis non deesse decet.

Ualerius maximus libro 3. titulo de constantia: Centurio quidam diui augusti: cum antoniano bello sepe numero excellentes pugnas edidisset improuisis hostium insidiis circumuentus: et ad antonium alexandriam perductus: interrogatusque quisnam de eo statui deberet: iugulari me inquit iube: quia non salutis beneficio neque mortis supplicio adduci possum vt aut cesaris miles desinam: aut tuus esse incipiam. Ceterum quo constantius vitam contempsit eo facilius impetrauit: antonius enim virtuti eius incolumitatem tribuit.

Marcialis cocus libri vndique suscepto capitulo 6. Nescit amor vehemens: ad queque pericula rumpi.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 15. Amicorum tibi fidelium mentes aspera horribilisque fortuna detexit: hoc tibi certos sodalium vultus ambiguosque secreuit. Libro 9. capitulo 9. Quem felicitas amicum fecit: infortunium faciet inimicum.

Cassiodorus epistolarum libro 10. epistola 2. Amicitia tantum est certior quantum vetustior: quia facile mutari non potest: quod per longa tempora custoditur.

Uersificator fabularum esopi 28. fabula. Nullus amor durat: nisi fructus seruet amorem. Fabula 62. Nam refugit viso: turbine falsus amor. Dum fortuna tonat: fugituios terret amicos. Quis amet et quis non: sola procella docet.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 6. Qui fuerit felix: multis venerandus amatur. / Sed miser effectus solus ad ima cadit.

Andreas ad gualterium de amore libro 3. Uerus amicus in amici aduersitatibus fidelior inuenitur: et efficitur in omni turbatione constantior.

Heinricus samariensis libro i. parte i. Cum zepirus flabat: multis comitabar amicis. / Nunc omnes aquilo: turbine flante fugat. / Omnis in aduersis rebus amicus abest. Libro 2. in fine. Nulla remota via: solidum partitur amorem.

Iacobus beneuentanus capitulo 34. Mutari nescit: inueteratus amor.

Commented [CN27]: fol.42vb